



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Carolus Gonzaga Niuernens. n. 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

rum, & triumphorum fructum, ipsa quoque Societas, illo iubente, veniebat. Ita in cit. Imag. lib. 6. fol. 887. constat, eundem Serenissimum Principem promouisse hanc Regis benevolentiam, hausto à Matre Margarita Austriaca in nos amore, quem eximium, semperque crescentem exercere nunquam destitit. Et præter alia. Id Regi auctor fuit, magnis ut Urbibus imponerentur Patres, testatus, Ad retinendos in Regis fide Belgas Societatis Collegia plusquam Castella valitura. Et Traiecto ad Mosam, & Ipris Flandrorum recuperatis, cum in pœnam arces præsidarias imperare posset, eas se, dixit, in Societatis IESV domicilia commutare. Et tandem fol. 897. Tot ille Arces ad Hæreticorum ausus retundendos, quot Sociorum Collegia se numerare gloriabatur. Tanta tanto Duci erat de nobis existimatio, tanta de Societate, de Collegijs, quæ non affectu solo, sed præcipua quadam liberalitate subleuabat.

Et ad retinendos in Regis fide Belgas plusquam Castella valitura.

Et ad Hæreticorum ausus retundendos.

7. A MARGARITA Serenissima Odoardi Parmensis Ducis egrègia vxore, quæ super cœnam, ijs qui fabulam narrabant de iuvene Florentino ab uno è Nostris mortuo, dixit, Credituram se facilius à Iesuita suscitatum mortuum, quam viuum hominem occisum fuisse. Qua voce præclaram Serenissima Princeps in nos humanitatem declarauit suam, & narrantium leuitatem castigauit egregie. Ita apud P. Rho Apolog. aduersus Pseudo Constantin. fol. 189.

Celebre Margarita dictam in Societatis commendationem.

8. A CAROLO GONZAGA Niuernensi in Gallia Duce assente, longe aliud esse iudicium de Societate, hominum sanamente res æstimantium, ut quam longo vsu constaret, vtrisque rebus, & Religioni, & Politicæ admodum esse vtilem. Ita in Annal. Societ. anno 1612. fol. 558.

Que vtilissima est Religioni, & politica.

9. AB ALBERTO BAVARIÆ DVCE, Qui dum Archiducis Caroli filiam Mariam duxisset, id moniti genero Socer sapiens, sapienti dedit: Quod pertineret ad Religionem, si conseruatam eam, ac restitutam vellet, non vnum Græcij, sed quàm multa posset in suis Prouincijs Collegia SOCIETATIS excitaret. Ita ille Par. 3. Hist. Soc. lib. 7. num. 55.

Et eius Collegia ad Religionem conseruandam ac restituentiam.